



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento  
Selectæ**

**Pexenfelder, Michael**

**[S.l.], 1711**

LXXXI. Eliæ vatis mirabilia facta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

captus, veri Numinis cultum, cum Ieroboamico-  
rum vitulorum veneratione copulavit, majore po-  
pularis auræ, quàm cœlestis favoris amittendi me-  
tu. Quæ causâ fuit, ut post annos centum & du-  
os, Iehu quoque familia, quod superius memini-  
mus, sit excisa. Ita vigilat & vindicat in improbos  
Iustitia DEI, & in iræ suæ ministros redire jubet fla-  
gellum, quò luant, quod in alijs plexerunt.

## NARRATIO LXXXI ELIÆ VATIS MIRABI- LIA FACTA.

3. Reg. 17. 18. 19 21. 4. Reg. 1. 2. 2. Paral.  
21. Ab anno M. 3123. Ante Ch. 930.  
ad ann. M. 3129. ante Ch. 914.

**N**ihil tam arduum est, quod virtus non evin-  
cat; huic enim elementa parent, & vel ipse  
æther militat. Elias, cui natalis vicus Thes-  
be, cognomentum Thesbitæ fecit, religioso Numi-  
nis cultui deditus à puero, postquam diu secretam à  
vulgi consuetudine vitam egerat in Galaatitide regi-  
one, contulit se Samariam in urbem ad Achabum  
Israelitarum regem, cum ipsum tum populum ejus  
ab idolomania ad Religionis avitæ Sacra reductu-  
rus. Mirandarum ei rerum initium fuit, prodigio-  
sa (pluviarum suspensio, & terris Israëliticis inducta  
siccitas. Exinde, monitu divino, Jezabelis reginæ  
furori cessurus, vitæ solitariæ se reddidit, corvis da-  
pife-



piferis in quotidianum ministerium usus. Ex ea similitudine jussu DEI profectus, *Sareptam*, Sidoniorum urbem, idolis addictam, elusis emissariorum oculis pervenit. In ipso urbis ingressu offendit in mulierem viduam, coccula ligna frustatim colligentem. In ejus se colloquium vates insinuat, extinguendæ siti frigidam, mitigandæ fami buccellam panis petit. Excusat illa extremam egestatem, quam triennis agrorum sterilitas effecerat; neque plus farinæ in hydria superesse, quàm quantum manus pugillò capi posset: oleum quoque ad ultimas in lecytho guttas redactum esse: restare hoc unum, ut collectiis ligni fragmentis focum excitet, & illas penoris reliquias sibi, filioque paret suo, ad imminentem mortis necessitatem tantisper remorandam. Hic Propheta viam sequenti facturis prodigio, postulare, ut suæ prius, hospitis, inedia levandæ panem extemporaneum in prunis torreat, deinde propriæ, filiique saluti consulat; neque enim vel hydriæ farinam, vel lecytho defuturum oleum, donec æther beneficas in terram pluvias effuderit. Mulier nihil cunctata, accelerat hospitalitatis officia; tantum panis è modica conficit massula, quantum satis erat non ad Eliæ modò, sed totius familiæ sedandam famem, miro repensæ charitatis fœnore, dum externi penuriam, jugis deinceps annona fueret.

Ad hoc beneficium, accessit alterum, non minus admiratione plenum. Filius ejus viduæ unicus ex ægritudine lethali decesserat; cum bis orba mulier venit ad Eliam gemebunda, & lacrymis infusa; quepiturque sibi vitæ ab eo servatæ, fructum ademptum, filium, unicum orbitatis suæ solatium: dolo-

res



res ex eo funere tantò acerbiores à se hauriri, quan-  
 tò magis sibi sit conscia, illam mortis immaturita-  
 tem delictis suis deberi. Miseratus afflictam Pro-  
 pheta, susceptum de materno sinu parvulum defert  
 in suum ipse cœnaculum, reponit in lectulo, in pre-  
 ces effunditur: Inde contractis ad modum pueri-  
 lis corpusculi membris, os ori, oculos oculis, manus  
 manibus, pedes pedibus componit, tertiumque re-  
 petito incubitu, & inhalatione spiritûs, animam ex-  
 animi corpori reducit.

Interea trienniô ipsô sicca sterilitas cum idolola-  
 trarum pertinacia pugnabat; cùm Elias veri DEI  
 cultum contra Baalitas asserturus, promittit Acha-  
 boregi, se riguas è cœlo aquas in agros devocatu-  
 rum, si coram frequenti populo Baalitæ pseudo-  
 propheta ad unum omnes in Carmelo monte con-  
 gregati, secum in disceptationem de Religione ve-  
 nirent, capitis suppliciô alterutri parti propositô, cu-  
 jus sacrificam hostiam flamma cœlitus delapsa non  
 cremaret. Confluit densè populus, rei noæ even-  
 tu suspensus; coguntur quoque Baalis Sacerdotes  
 octingenti, quinquaginta. Experimentum Sacrifi-  
 cij, ut convenerat, bos in frustra sectus, strui ligno-  
 rum ab ipsis imponitur; tripudia circa aram, in-  
 conditis cum clamoribus gyrantur: cultris & lan-  
 ceolis inciduntur artus ab insanè debacchantibus;  
 nullo tamen operæ successu. Nihil oritur flammæ,  
 nihil fumi, amarum sacrilegis popis insultante Elia.  
 A manè ad meridiem tenuit ea vociferationis & sal-  
 tationis insania, cœlo nec imbrem dante, nec ig-  
 nem. Itaque Vates duodenis è saxi, juxta tribu-  
 um Hebræarum numerum, aram ipse quoque eri-

B b

git:



git: in ara ligna, & super hæc, macerati bovis membra collocat, aquâ largiter perfusa, ut è contrarijs luculentiùs miraculum eluceret. Utque suspicio tolleretur fomitis igniarij sub altari, absconditi, fossam aræ circumducit, repletam undâ. Inchoatô vix sacrificiô, demissus è cælo ignis momentô consumit non victimam modò, sed ligna, lapides, & ipsam adeò lympham scrobi circum effossæ infusam; ut tanti magnitudo prodigij magis percelleret adstantium oculos; mentesque ad Veri Numinis reduceret cultum.

Neque frustravit spes sua Prophetam. Attoniti rei prodigiôsæ novitate præsentis, sternunt humi corpora, supplicésque Numinis æterni potentiam cultumque contestantur, ac devenerantur. Elias animorum promptitudine tempestivè usus, auctor est Israëlitis, ut tandem agnitam veritatem in vindicias antiquæ Religionis vertant, manus inficiant in detestabiles Baalitas, cunctosque neci dent. Neque difficile fuit persuadere verbis, ubi jam facta quâvis linguâ potentiora præcesserant. Irruente concitata multitudo in sacrificulos, raptosque torrentem *Cisonem* [ montis *Carmeli* radices alluentem ] trucidat ad unum omnes, devolutosque in profluentem, ne scelesti cadavera terram & aërem inficerent, sepelit aquis; Achabô prodigijs territô, nihil contra Eliæ consilium, & populi conspirationem movere ausô, Impiorum sanguinem rueni cælo pluvia diluit, agrisque fœcunditatem, mortalibus saturitatem & lætitiâ reddidit.

Ea cæde intellecta Jezabel, in rabiem versa, nihil non lapidem movit, ut Eliam tantæ stragis auctorem



rorem dirissimis modis excrucia-  
 ret. Quare fugâ  
 sibi consulens Vates, peragratis locis desertis, for-  
 tē sub junipero confederat, quiete vires refocilla-  
 turus. Ibi partim mœrore animi, partim lassitu-  
 dine itineris, cœpit ipsum vitæ tædere, & deside-  
 rium subire linquendi terram tot scelerum colluvie  
 impiatam. Languorem excepit sopor: hunc dis-  
 cussit Angelus cœlo submissus, panem ferens & fon-  
 tem, refectionem jejuno. Elias depulsâ fame, re-  
 labitur in somnum, noctemque sub junipero tran-  
 sigit. Redit iterum genius cœlestis, dormientem  
 excitat, hortatur, ut cibô resumptô ingrediatur  
 iter longius, seque extra discrimen in loco tuto  
 constituat. Iterum igitur expergefactus, iterum  
 comedit, bibitque, & redintegratis viribus, dies  
 omnino quadraginta incoenatus & impransus ad  
 montem *Horebum* contendit, ibique in spelunca qua-  
 dam delitescens, Iezabelis insidias declinat. Se-  
 cundum quietem, vocem denuo cœlestem perci-  
 pit, quâ jubetur extra specum prodire, discereque,  
 quam providis DEUS consilijs, clementiâque cru-  
 entas Jezabelis molitiones temperet. Ingens nam-  
 que exortus turbo, videbatur montes ipsos subver-  
 surus & saxa contriturus; cùmque remitteret illa  
 ventorum violentia, concitatus infra terram tu-  
 multus, omnia concussit & tremefecit. Terræ mo-  
 tum excepit incendium, pari terrore flammâs & mi-  
 nas spargens. Subsecuta leni sibilo spirans aura,  
 & cum aura, radians è nube splendor, deque splen-  
 dore sonus allabens prænuntiânsque *Hazaïem* Re-  
 gem in Syria, *Iehum* in Israëlitide excitandum ad  
 pœnas de idolorum adoratoribus sumendas. Ejus



rei nuntium utrique defert Elias, inque via comitem sibi Elifæum adsciscit; & mandato perfunctus munere, in montem Carmelum revertitur. Eo militarem manum *Ochozias* Rex Israelis mittit, (impatiens reprehensionis ob imploratam in morbo, demonis operem) ad vatem comprehendendum & ad se adducendum. Credibile est, ad iram vindictæ, amore vitæ accessisse, quam etsi conclamatam, armatis tamen minis à mirabilium patratore Prophetæ, sibi prorogatam volebat. Ad montem ubi superbis cum mandatis venit dux legationis, cum quinquaginta virorum manipulo, Elias peculiari DEI inspiratione concitatus, devocat è cælo ignes, & formidoloso, horribilique spectaculo, manipulares illos exurit omnes. Mittitur altera quinquagenaria turma, pariterque concrematur, non aliam ob culpam, quàm quòd impio regi obtemperarint. Ablegatur tertia; quæ terrefacta nuntio iteratæ claudis, obsequiorum & precum demissione exitium à se avertit, Vatémque permovit, ut secum in regiam concederet. Ubi decumbenti *Ochoziæ* inevitabilem moriendi necessitatem non minùs animosa voce confirmavit, quàm antè prædixerat. Inde cum Elifæo discipulo ad *Jordanis* littora progressus, cum neque ponte, neque navicula fluvium trajicere posset, pallio, quod erat ex villosa pelle hirsutum, divisit fluminis undas, & sicco per medium pede transit cum comite; quem quia disciplinæ suæ successorem constituerat, copiam ei fecit postulandi, quid quid luberet, in monumentum amicitia, & impoliti oneris benè administrandi auxilium. Petijt is duplicem spiritum, miraculorum scilicet & Prophetia.

Dum



Dum eunt, dum colloquuntur, ecce nubes se offert in currûs & equorum igneorum speciem efformata, quæ inter utrumque super terram discurrens, Eliam subitò rapuit; statimque confurgens ventus, equos ac currum longiùs abstulit ab Elisæo, ultimum Magistro suo vale acclamante, & dejectum ejus pallium, entheùmque spiritum excipiente. Cæterùm Elias rediturus ad mortales est cum *Enocho* circa mundi finem, plurimisque à nefanda Antichristi secta revocatis, martyriò laureatus, Elyfias sedes revisurus; interea in secreto quodam aëris, amœnòque secessu (S. Scriptor *calum* vocat) vitam degit quietam, & jugi DEI contemplatione felicem. Ex quo loco, novenniò post, quàm à mortalibus recessit, epistolam ad *Ioramum* impium pijssimi Josaphati filium, & successorem sua manu scripsit: cum exprobatone detestabilis impietatis, imitationis Achabi, crudelitatis in fratres; adjectis insuper atrocium pœnarum, cladiumque minis ac vaticinijs, in caput scelerati regis, irrevocabili Numinis decretò, non multò post exonerandis; quod divina historia memorat lib. 2. Paral. c. 21. Lubet hîc ex Saliano nostro apponere Epitaphium seu Elogium, ad limen Carmelitanæ speluncæ ab eo suspensum.

## ELOGIVM ELIÆ.

**H**Anc aliquando speluncam incoluit, Viator, qui præter naturæ ordinem factus est paradisi colonus, & immortalitatis in mortali corpore candidatus: magnum illud Prophetarum lumen Elias Thesbites, in veste cilicina, in horrido ac neglecto



capillo, in Prophético pallio, in melote, pellicæ-  
que zona. Hoc ille solum rigabat lacrymis, has te-  
nebras divinarum illustrationum copiâ efficiebat il-  
lustres; ipsum denique informe, olidumque antrum  
precum suarum balsamo reddebat odoratum. Hic  
spiritum fervoris Vates hauriebat, quò decem Tri-  
bus sacrilegæ impietatis reas, duorum & quadra-  
ginta mensium sterilitate afflixit; quò impurissima  
vanitatis architectos, magos, ariolos, pseudopro-  
phetas præstigiarum convictos, ad octingentos &  
quingentos morti dedit: quò profanum ipsum Re-  
gem in suam perniciem conjuratum increpuit pa-  
lam: & verborum pondere afflictum, ad faccum  
& cineres, infimamque compulit humilitatem. Hic  
ille est Elias, qui quadraginta dierum continens  
sejunij proluione usus, ad bis mille, quingentos,  
& amplios annos, jugem, ad hanc diem ac perpe-  
tem cibi, potusque abstinentiam protraxit; ad il-  
ludque protrahet diem, quo post rigata mortali-  
um corda, tot mensium curriculò, quot olim ter-  
ram sterilitate damnaverat, in conspectum se dabit,  
omnium importunissimi, cruentissimi que tyranni,  
Antichristi. à quo cum consorte prædicationis *Emo-  
cto* morti datus, post triduum redivivus recipietur  
in cœlum. Hic est, qui medios inter sonoræ tem-  
pestatis fragores, & concussos, flagrantésque in *He-  
rebo* montes, suavissimæ auræ sibilum, aperto vul-  
tu, attentus percipit; qui Reges ungit, ac Prophe-  
tas vindices injuriarum DEI; qui corda filiorum DEI  
convertit ad patres, imò ad omnium Parentem DE-  
UM; & per medios iniquitatis torrentes, lectos  
Prophetarum & Religiosorum in Carmelo, totaque  
Cha-



Chananitide manipulos, sui æmulos atque imitatores instituit, ad cœlestem vitam, mundo ignotam ac contemptam traducendam adduxit; tot sæculis suarum precum, quasi facularum ardore calefecit; & ad hanc diem tot inter rerum, locorum, temporumque varietates constantes reddidit Magni Patriarchæ sectatores. Abijt ab hominibus, Iosaphati Regis Judæ Anno XIX. Mundi cl̄o. cl̄o. cl̄o. CX XIX. post Enochii translationem cl̄o. cl̄o. CLII.

NARRATIO LXXXII.  
**ELISÆUS THAVMATURGUS.**

Lib. Reg. 3. c. 19. 4. Reg. 2. 4. 5. 6. 7. 13.  
 Ab anno M. 3127. ante Ch. 926. ad ann. M. 3240. ante Ch. 849.

**E**lisaeo natale solum fuit *Abelmeula*, urbs Tribus Manassæ, cis Iordanem sita, parenti nomen *Saphatus*. Rerum mirabiliter patrandarum omen fuit (quod S. Epiphanius, & Isidorus in vita Elifæi memorant) mugitus aurei vituli, Ierosolymis auditus, quo portendebatur, puerum idolorum exterminio natum. Antequam ab Elia in disciplinam adscisceretur, rus colebat non modicum, quippe duodenis boum jugis possidendum. In eum arantem fortè Elias iter peregrè faciens incidit; utque hominem instituti sui Socium faceret & sectatorem, pallium ei injecit, & cum pallio ani-